Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Philippi Melanchthonis Grammatica Latina

Melanchthon, Philipp

Wittebergae, 1621

Caput X. De anapaestico

urn:nbn:de:bsz:31-112308

Visual Library

4. Vel ſit nomen Animalis qvadrupedis. *ut:*
——————*Procumbit humi bos.*
——————*Sub ilicibus ſus.*
——*Canis immundus, vel amica luto ſus.* Hor.
————*Hac lutulenta ruit ſus. Hor.2.ep.2.*
————*Somno opprimitur glis.*
Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus. Hor.

II. Ne deſinat in tres vel qvatuor dictiones diſyllabas. *ut: Semper ut inducar, blandos offers mihi vultus.*

III. Ne facilè finiatur dictione qvadriſyllaba. *ut: Augeſcunt aliæ gentes, aliæ minuuntur. Lucret.*

Niſi ſit nomen Proprium. *ut, Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho. 2. Ecl.* Vel Verſus ſit Spondaicus. *ut: Chara Deûm ſoboles, magnum Iovis incrementum.*

VI. Pentaſyllaba qvoqve in fine, qvantum fieri poteſt, vitanda ſunt.

CAPUT X.

DE ANAPÆSTICO.

† *Qvid eſt genus Anapæſticum?*

Qvod conſtat verſibus Anapæſticis.

† *Qvid eſt Verſus Anapæſticus?*

Qvi primis duabus regionibus admittit Anapæſtum vel Spondeum; tertiâ tantùm Anapæſtum cum ſyllaba remanente.

† *Da typum Verſus Anapæſtici.*

1 2 3
∪∪– ∪∪– –
∪∪–
–– –– ∪

ut: Iam mœſta qvieſce qverela:
Lacrimas ſuſpendite matres.
Veniant modò tempora iuſta.

CAPUT XI.

DE ELEGIACO.

* *Qvid eſt genus Elegiacum?*

In qvo Hexameter & Pentameter alternatim ponuntur.

† *Unde dicitur Elegiacum?*

Ab ἒ ἒ, qvod idem eſt atqve *Heu Heu*, & λέγω, *dico*. Nam Elegia, lugubre carmen olim ſignificabat. Sed poſteà cœpit ad Amatoria & qvasvis materias alias accommodari. *Hinc Horatius in Arte: Verſibus impariter junctis Qverimonia primùm,*
Pòſt etiam incluſa eſt voti ſententia compos.

* *Qvid eſt Verſus Pentameter?*

Eſt qvi habet qvinqve pedes. † Et dividitur in duo hemiſtichia, qvorum prius, in duabus regionibus admittit Spondeum vel Dactylum, remanēte ſyllaba longa, qvæ eſt qvintæ regionis prior ſemipes: poſterius recipit duos Dactylos, itidem remanente una ſyllaba vel longa vel brevi, qvæ eſt alter

ſemipes